Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 801
Quelle:
Copyright:

rum medici per ieremiam prophetam pater misericordiarum sermonem dirigit. uobisque infelicis anime curam committit. que pro suo excessu nimio et confusione babylon uocari meruit &c. De Hominibus ad peccatorum confessionem perducendis potissimum res est, totaque tractatio minutis divisiunculis in *tria*, *quatuor* &c. scatet, ut adeo praedicto Seculo vix superiorem credam.

IV. *fol.* 78. manu Sec. XIV. Commentarius, quem possessor *Brassicanus* inscripsit: *Interpretatio in Apocalypsin.* Una de multis, cujus Autorem edicere nequeo. Cursoria est, atque Praefamen ita orditur: *Joannes apostolus ob insuperabilem evangelizandi constantiam a domiciano in pathmos insulam ad secanda marmora exilio relegatus derelictus ab homine uisitatur* (a) *deo. Que pathmos interpretatur fretum* &c. Nescio, unde *marmora* Noster; de *Metallis* meminit in suo Comment. *Victorinus Petavion.* Expositio ipsa sic ingreditur: *Apokalipsis sicut diximus ihesu christi. quam apokalipsin dedit illi. i. filio dominus pater. in hoc dedit illi quia ad nos misit illum palam facere. i. ut ostenderet aperte seruis. non quibuslibet sed suis* &c. In fine C. XIII. de *numero Bestiae* nihil hariolatur calculis Autor, finitque: *quoniam hec apokalipsis in qua agitur de pacientia est ihesu christi mihi manifestata.* Adscriptum majusculis literis *Gerdrut* paene suspicionem ingerit, Virginem quandam monasticam fuisse librariam. Quid si Antistes illa *Saxo Mechtildis* soror foret, quae inter Beatos colitur?

CCCLXI.

Codex partim membraneus, partim chartaceus, Sec. XIV. Folior. 148. f. max. per duas columnas pulcre scriptus, coloribus illustratus, et prius *Monasterij sancte dorothee vienne*, praemisso *Capitulorum* Indice hanc Rubricam praefert: *Incipit prohemium Johannis cassiani heremite in septem posteriores collaciones Sanctorum patrum. Johannem* nostrum XXIV. *Collationes* suas in III. Ordines distribuisse, quorum I. decem priores, II. septem posteriores, III. totidem postremas contineret, norunt ejus Lectores. Septem medias Codex hic primum exhibet, quae in edit. *Alardi Gazaei Paris.* 1642. a p. 519. f. decurrunt. Initium Prooemii, ut ibi, omissis tamen *Honorati* et *Eucherii* nominibus praeviis, quae tamen in contextu leguntur: *Cum virtutem perfectionis uestre, qua uelut magna* &c. R. 2285

II. *fol.* 50. *Incipit prohemium in 7. Collaciones sequentes;* id est postremas. Ita nempe: *Omissis* (Emissis, al. Emensis) *iuuante gratia christi decem collationibus* &c. Integra omnia. *Capitum*, quorum Index singulas *Collationes* antecedit, aliquoties alia divisio, quam in Edit. *cit.* cujus errores typographici saepius e Codice nostro emendari possunt; ita probe plerumque scriptus est. Ad calcem Editis haec adjicit *Gazaeo* non memo-